



Vita Et Doctrina Christi Domini

More, Henry

Antverpiae, 1649

XLVIII. Nimia sollicitudo prohibetur. Matth. 6. 19.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56545](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56545)

cum sit priuatus.) "Intuere SS. Patrum
viuida exempla in quibus vera refulsit
perfectio & religio, &c. Th. a Kemp. l. c.
1. c. 18.

XLVIII.

Nimia sollicitudo prohibetur.

Matth. 6. 19.

1. **N**olite thesaurizare vobis thesauros
in terra, ubi arugo & tinea demo-
litur, & ubi fures effodiunt & furantur:
& mille alij casus possunt in dies & in
horas incidere, quibus humana proui-
dentia nulla sufficit cauendis *Thesauri-
zare autem vobis thesauros in caelo, ubi ne-
que arugo, &c. Vbi enim est thesaurus tuus,
ibi est & cor tuum.* "Thesaurus igitur "Ambros.
tuus sit fides, pietas, misericordia, The- "ser. 12. in
saurus tuus sit Christus.) Ambrosius. "ps. 118.
2. *Lucerna corporis tui est oculus tuus:
si oculus tuus fuerit simplex totum corpus
tuum lucidum erit; si autem fuerit nequam,
totum corpus tuum tenebrosum erit. Si ergo
lumen quod in te est tenebrae sunt, ipsae te-
nebrae quanta erunt?* Augustinus & Gre- Aug. Greg.
gorius haec transferunt ad Intentionem,
qua facit quisque quod facit: Ambro- Ambros.

Hieron.

Chrysost.
in ps. 4.Domin. 14.
post Pentec.Hieron.
hic.

sius & Hieronymus, ad Prælatos in Ecclesia corpore: unde & Chrysostomus, "Quando gubernator est ebrius, & fluctuum ac ventorum imitatur inconstantiam ac perturbationem, quomodo fieri potest ut navis seruetur?" in psalm. 4.

3. *Nemo potest duobus Dominis servire, aut enim unum odio habebit & alterum diligit, aut unum sustinebit & alterum contemnet.* Hoc sicut ad sequentia, ita ad superiora etiam pertinet: nemo enim vno oculo sursum, altero deorsum aspicere potest. *Non potestis Deo servire & mammona.* Ideo dico vobis, ne solliciti sitis anima vestra quid manducetis, neque corpori quid induamini. Nonne anima plus est quam esca, & corpus plus quam vestimentum? quasi dicat, "qui maiora præstitit minora præstabit.) Significat autem quod nullâ in re præposterè affici debeamus. *Respicite volatilia cæli, &c. Considerate lilia agri, &c. Quis autem vestrum cogitans potest adyccere ad staturam suam cubitum unum? &c.*

4. *Quarite ergo 1^o primum 2^o regnum Dei & 3^o iustitiam eius & hac 4^o omnia adyccien-*

*adijcientur vobis. Nolite ergo⁶ solliciti esse
in crastinum: crastinus⁷ enim dies sollici-
tus erit sibiipsi: ⁸sufficit diei malitia sua.*
Hoc est, labor, afflictio & præsentis
temporis cogitatio. "Cum verò Dei
sint omnia, habenti Deum nihil deerit,
si Deo ipse non desit.)" Ideo autem de
istis necessariis solliciti non sumus quia
cùm hæc possumus agere, ille nos pascit
& vestit, à quo pascuntur homines ac
vestiuntur. Cùm verò hæc non possu-
mus agere, idem ipse nos pascit ac ve-
stit à quo aues pascuntur, & lilia ve-
stiuntur: quoniam nos plures sumus il-
lis, &c.) "Quando homo ad hoc perue-
nit quòd de nulla Creatura consolatio-
nem suam quærit, tunc ei Deus pri-
mùm perfectè sapere incipit, &c.) Th.
à Kemp. l. 1. c. 25. n. 10.

Hieron.

Cyprianus.

de or. Do-
min. c. 8.

August. de
oper. Mon.
c. 27.

XLIX.

Varia Documenta. Matth. 7. 1. Luc. 6.

1. **N**olite iudicare & non iudicabimini,
noli condemnare & non condem-
nabimini, in quo enim iudicio iudicaveri-
tis, iudicabimini & in qua mensura mense-
rueritis, metentur vobis.

Dom. 1. post
Pentecost.